

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De rarione explicandaru[m] sacrarum literarum; quatenùs oratori  
Ecclesiastico sit necesse. Cap. LII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

De ratione explicandarū sacrarum literarum;  
quatenū oratori Ecclesiastico sit necesse.

## Cap. LII.

**P**O R R O cūm finitimus admodūm sit Ecclesiastico  
oratori sacrarum literarum interpres, & sapientis  
interpretis munere in ecclesia fungi sit necesse; de arte in-  
terpretandi euangelia & vniuersam sacram scripturam,  
iam dicendū videtur. Hac de re, quæ sanè in ecclesia Dei  
est maximi momenti, praecepta tradiderunt sancti Hiero-  
nymus, & Augustinus: proximis annis, copiose scripsit  
vir admodū doctus, qui de formā dis concionibus librum  
utilem conscripsit; nuper verò author bibliothecæ sanctæ,  
vir eruditus F. Sixtus Senensis, ordinis Prædicatorū idem  
argumentum tractauit; nos breuiter ac perspicuè collige-  
mus, quæ clericis utilia fore, iudicamus. hoc in primis ex-  
plicationi sacrarum literarum necessarium est, ut varios  
sensus, varia expositionum genera interpres teneat; dein  
dè ex illis interdūm unū, interdūm plura adhibeat. sum  
autem quatuor sensus, siue expositiones, quas describimus,  
ut facilius intelligantur, & in clericorum animis impri-  
mantur: *Historicus* sensus siue literalis; *tropologicus* siue  
*moralis*, *allegoricus*, & *anagogicus*. Sic definitus sen-  
sus historicus, rei gestæ narrationem, ac verborum se-  
riem, communī & usitatā voce, siue propria, siue meta-  
phorica, rem ipsam representantem: Propria voce expli-  
cantur animalia, leo, homo: metaphorica, agni & leonis  
nomine, Christus significatur. Tropologicā definitus siue  
moralē expositionem, quæ ad vitæ emendationem my-  
sticos sensus accommodat: allegorica, quæ rerum gestarum  
narrat.

narrationem, umbram futurarum prætulisse demonstrat: anagogicam, qua, ad sacraria calestium figurarū præcepta, animus euehitur. Vno elemento aquæ, quatuor, quos enumerauimus, sensus, expressos, declarauimus. Historico sensu, aqua elemētum vnum è quatuor significat, quo sensu interpretanda sunt illa verba; Congregentur aquæ in vnū locum: sensu morali, aqua tribulationes indicantur, ut expressit vir diuino numine afflatus, cùm in psalmo dixit: Transiimus per ignem & aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Allegoricè, sanctissimū baptismi sacramētum, aquæ vocabulo significatur, quod admirabilis ille propheta ostendit, illis verbis, que, veluti à Deo prolatæ essent, protulit: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamētis vestris. Anagogicè, aqua eternam beatitudinē exprimit, ut fecit Hieremias propheta: Me dereliquerunt fontem aquæ viua, & foderūt cisternas dissipatas. Et quia omnium magister & Dominus Iesus Christus, tria priora expositionū genera adhibuit; eius exemplis contenti, alia perquirere superuacaneum putamus. Quartæ expositionis, nimirūm anagogicæ, à S. Paulo Apost. exemplum petemus. Exposuit D.N. legem Moysi, de dando repudio, historicō sensu, cùm dixit Iudeis: Moyses propter duritiam cordis vestri, permisit vobis, dimittere vxores vestras; à principio autē nō fuit sic: dico autem vobis, quicunq; dimiserit vxorem, nisi fornicationis causa, & alteram duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur. Tropologicum sensum adhibuit idem Saluator, cùm historiam Ninivitarum, & aduentum Reginae Austris ad Salomonem, narrans, ea ratione, perditissimos Iudeorū mores redarguit,

atq<sub>3</sub> eorum incredulitatem: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia in prædicatione Ionæ egérūt pœnitentiam, & ecce plusquam Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiā Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic. Allegoricæ expositionis exemplum dedit, cùm Iudeos alloquens de Ioanne Baptista, dixit: Helias quidē vēturnus est, et restituet omnia; dico aut̄ vobis, quia Helias iam venit; & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eum quacunq<sub>3</sub> voluerunt, significās his verbis, Heliam in veteri testamēto fuisse typum, & umbram vitæ Ioannis, qui ab exordio noui testamēti venit in spiritu & virtute Heliae. Anagogica expositiōe vsum B. Paulum in epistola ad Hebreos possumus obseruare, cùm terram illam Palæstinorum, patribus re promissam, accommodat ad promissionem diuinæ gloriæ, terram illam tantoperè à patriarchis desideratam, & tot peregrinationibus quaesitam, non esse præsentem, visibilem, terrenam illam regionem Chanañorum, sed futuram, inuisibilē atq<sub>3</sub> cælestem patriam, meliora habentem fundamenta, cuius Deus est artifex, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem, multū angelorum milibus ornatam.

Qua oratione, sacrarum literarum sensus sint adhibendi.

### Cap. LIII.

**C**AVE ANT clerici, nè literæ perpetuò assideant, & solis syllabis ac dictionibus incumbant. Nam qui hoc faciunt, frigi di, sine spiritu, exangues, aut potius ex-animes